PA
6276
S35

LIBRARY OF CONGRESS.

[SMITHSONIAN DEPOSIT.]

Chap. PA 6276

Shelf S35

UNITED STATES OF AMERICA.

De

Catullo Graecorum imitatore

DISSERTATIO

QUAM SCRIPSIT

ET

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

OBTINENDIS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM

ORDINI

IN UNIVERSITATE LITTERARUM IENENSI

PROPOSUIT

CAROLUS PAULUS SCHULZE

ANHALTINUS.

13449

IENAE, 1871.

TYPIS RATII.

PA6276
.S35

Aemilio Kahleyss

avunculo carissimo, hasce studiorum suorum primitias

pio gratoque animo

d. d. d.

auctor.

Temporibus exeuntis liberae Romanorum rei publicae nova atque vetera omnibus rationibus inter se certare atque contendere videmus. nam dum alteri priorem civitatis statum servare et retinere student, alteri rempublicam vi conturbare atque evertere conantur. coniurationes continuae, bella civilia, factionum in ipso foro proelia finem libertatis prope abesse prudentissimo cuique portendunt. atque sicuti in rebus publicis eos qui moribus et institutis maiorum servandis operam dabant novarum rerum cupidos acerrime oppugnare videmus, etiam in lingua et in litteris vetera damnari, nova nasci videmus. eodem enim tempore, quo Lucretius atque Cicero veteris sermonis colorem imitati carmina conscripserunt, poetae qui οἱ νεώτεροι vocantur ubique novam viam ingredi, ubique veterem dicendi consuetudinem mutare coeperunt. tunc optimi cuiusque erat poetas antiquos summis laudibus efferre, novos despicere atque contemnere; tum Cicero, ut vir bonus, veteres Romanorum scriptores celebravit, τοὺς νεωτέρους ubique carpsit atque derisit. duae igitur poetarum scholae, ut ita dicam, ultimis illis exeuntis liberae rei publicae decenniis inter se certant: quorum cum alteri antiquos poetas secuti obsoleta poesis praecepta arte servare vel restituere studerent, alteri veteres poetas Romanos non magni aestimantes novam scholam condiderunt itaque ab obtrectatoribus „poetae novi“ nominati sunt. quorum poetarum principem fuisse Catullum inter omnes constat. —

Catullus primus gravem atque rudem illam priorum linguam spernendam, Alexandrinorum potissimum poetarum artem imi-

tandam esse carminibus suis demonstravit itaque nova studia poetica popularibus suis commendavit. Catullus primus limatae illius poesis Graecanicae apud Romanos auctor extitit; primus viam munire coepit, qua poetae Augustae aetatis longius progressi sunt. itaque cum illo tempore transitus factus sit a priorum lingua ad recentiorem sermonem, cum Catullum et amicos eius quasi medios videamus inter gravem illam veterum linguam et inter recentiorum artem perpolitam, minime mirum si reliquias quasdam, ut ita dicam, priscae Latinitatis apud eum invenimus. extat, ut nonnulla afferam, in Catulli carminibus magnus numerus vocum deminutivarum (cf. Haupt. obs. cr. p. 14), quae a poetis posterioris aetatis ut inusitatae et obsoletae omnino damnatae sunt. saepe numero Catullus antiqui vel cotidiani sermonis consuetudinem secutus adiectiva adverbiorum loco posuit. de qua re doctissime, ut solet, exposuit Haupt. obs. cr. p. 3 ss. sic nullius vocabulo utitur, ubi ex accurata cogitandi ratione „non“ requiritur. ab hac dicendi consuetudine „commodă“ illud c. 10, 26 repetendum esse mihi videtur ita, ut „commodă“ (loquitur enim puella) pro „commodum“ vel „commode“ dictum sit (cf. c. 28, 10: „lentus irrumasti“; c. 31, 4: „quam te libenter quamque laetus inviso“; c. 64, 70: „tota pendebat perdita mente“; v. 93: „exarsit tota“; v. 119: „deperdita laetabatur“ (contra c. 45, 3: „perdite amo;“ c. 104, 3: „perdite amarem“); c. 66, 39: „invita cessi“ al.): aperte enim poeta illo loco, quo puellas lepidissimas loquentes induxit, sermonem cotidianum imitatus est. itaque non opus est coniectura Handii „commodum enim,“ quam plurimi receperunt, nec L. Muelleri „commode enim“; immo eos errasse puto, qui locum „enim“ particula sanare studuerunt, cuius particulae tam rara apud Catullum exempla extant, ut piaculum sit coniectando obtrudere poetae, quod ipse data opera defugerit. ferendum quidem esset, si ita in libris scriptum esset. at coniectura inferre in Catulli carmen equidem non audeam. nam consulto eum verbo illo plerumque abstinuisse existimo; qui cum saepissime „nam“ et

„namque“ particulis usus esset (quinquagies novies) „etenim“ nusquam, „enim“ ter (c. 12, 8 et c. 35, 17: „est enim“, c. 63, 62: „quod enim“) admisit. itaque librorum scripturam retinendam esse puto:

„quaeso“ inquit, mihi, mi Catulle paulum istos: commoda „nam volo ad Sarapim deferri“. sic enim interpungendum est cf. c. 55, 10: „Camerium mihi, pessimae puellae.“ saepius Catullus „nam“ post unum vocabulum collocat, c. 23, 7: „bene nam“; c. 37, 11: „puella nam“; c. 64, 301: „Pelea nam“; semel „namque“: c. 64, 384: „praesentes namque“; post plura vocabula c. 66, 65. —

Sed alia priscae Latinitatis vestigia, quae in Catulli carminibus inveniuntur, notissima sunt. at rem in transcursu attingere mihi liceat, quae, quantum equidem sciam, nondum a viris doctis tractata est. vidi enim Catullum nisi rarissime et certis quibusdam legibus formas verbi „esse“ non omisisse. ei qui Ritschelii prolegomena ad Plautum p. 107—114 perlegerint, Plautum et Terentium easdem leges servasse atque Catullum et ab eis cum aphaeresin „est“ et „es“ verborum satis frequentatam, tum omissionem harum vocalarum omnino esse alienam cognoverint. et sicuti in Plauti comoediis a lege illa exempta pauca sunt, in Catulli quoque carminibus easdem fere exceptiones invenimus. sic c. 10, 31: „utrum illius an mei (sint)“ ut in sermone alicuius qui tanquam praeceps a rebus molestis ad iucundiora properat; tum c. 22, 8: „pumice omnia aequata“, et c. 57, 6 ss. „morbosi pariter gemelli utrique“ ss. „sunt“, c. 63, 65 ss: „mihi ianuae frequentes“ ss. „erant“ omissum est, ut in enumeratione, cf. Ritsch. c. l. p. 112. saepius addito „esse“ infinitivi constructio supplenda est: c. 8, 2: „perditum ducas“; c. 8, 16: „videberis bella“; c. 16, 4: „qui me ex versiculis meis parum pudicum putastis“; c. 16, 13: „male me marem putatis“; c. 22, 11: „fossor-videtur“; c. 22, 13: „tritius videbatur“; c. 23, 25: „putare parvi“; c. 37, 5: „putare ceteros hircos“; c. 48, 4: „videar-satur futurus“; c. 61, 129: „audiens desertum

amorem; c. 61, 147: „scimus haec tibi-cognita;“ c. 62, 20: „fertur crudelior ignis;“ c. 63, 55: „te positam-reor;“ c. 63, 68: „ego deum ministra-ferar;“ c. 64, 21: „iugandum sensit“; c. 66, 26: „te cognoram magnanimam;“ c. 67, 11: „dicere peccatum;“ c. 67, 19: „tradita fertur;“ c. 68a, 9: „me amicum dicis“; c. 87, 1: „se dicere amatam;“ c. 76, 4: „se cogitat-abusum“; c. 91, 3: „constantemve putarem;“ c. 91, 9: „tu satis id duxti“; c. 114, 1: „dives fertur“. cum hac omissione comparanda sunt Plautina illa: „factum probo, dictum oportuit“; ceterum ne in infinitivi futuri quidem constructione verbum „esse“ saepius quam ter omissum est, c. 36, 7: „vovit daturam“; c. 37, 7: „putatis ausurum me“; c. 42, 4: „negat reddituram“, tum „est“ in formulis eisdem quibus apud Plautum supplendum est; sic c, 69, 7; c. 62, 14; 57, 3; 23. 7: „neque mirum“ (cf. Lachm. ad Lucr. p. 313), ut notissima illa „mirum ni“ et „nimirum“. deinde in verbo „pote“ omitti potest, ut c. 17, 24. 45, 5. 67, 11; 76, 16; 98, 1 et in verbo „potens“ c. 61, 156; nunquam apud „potis“, qua licentia Plautus usus est (cf. c. 65, 3; 72, 7; 76, 24. invenitur porro apud Catullum „potis sit“ c. 115, 3.) tum „est“ in locis nonnullis omissum est, ubi a commotione animi excusationem habet, ut c. 62, 3.: „surgere iam tempus, iam s;“ c. 63, 72: „ubi cerva silvicultrix, ubi aper nemorivagus“; c. 64, 184 et 186; c. 63, 63 omissio verbi finiti partim commotione animi, partim sequentibus verbis „fui“ et „eram“ excusatur; c. 68a, 34 s. ex „carpitur“ generalis notio verbi „esse“ supplenda est. ceterum Catullum verbum „esse“ saepissime iteravisse ex multis locis apparet; quid? quod vel in responsis, sicuti apud Plautum, ubi facillime omitti poterat, „est“ illud accessit, ut c. 62, 8: „sic certest“, et c. 80, 7, ut Plautus semper in responsis „itast“ scripsit. neque minus saepe „est“ illud in finibus versuum, ubi facillime excidere potuit, extat, ut c. 7, 10; 10, 3; 12, 5 et 16; 13, 10; 16, 6; 22, 21; 23, 19; 36, 17; 37, 15; 38, 4; 39, 2 et 16; 51, 13; 55, 1; 61, 83 et 87; 64, 147; 67, 14; 68, 15, 30.

141; 83, 2; 86, 5; 87, 4; 96, 5. in ipsis duobus continuis versibus repetitum est, ut c. 68, 159 et 160; 44, 2 et 3; 62, 62 et 63.

quae cum ita sint c. 23, 27: „sat es beatus“; c. 39, 17: „Celtiber es“: c. 97, 3: „nilostque“; c. 110, 7: „fraudandost ficti“; c. 111, 2: „nuptarum est laus e laudibus eximiis“ levissimis vel nullis mutationibus scribendum esse puto; denique c. 17, 15 „est“ pro „et“ scribo (Lachmannus in adnot.: „puto: est“), ubi tamen sic interpungendum est: „est puella, tenellulo delicatior aedo, asservanda nigerrimis diligentius uvis“ („et“ pro „est“ in libr. mss. cf. Haupt. obs. cr. p. 4). „est“ saepius initio enuntiati collocatum est: „est enim“ c. 12, 8 et 35, 17; „est pulcre tibi“, c. 23, 5; „es impudicus“ c. 29, 10; „est vemens dea“, c. 50, 21; „estne“ c. 66, 15; „sit suo similis patri“, c. 61, 221. eandem Lucretium de omissione verbi „esse“ legem servasse apparet ex eis quae Lachmannus adnotavit in comment. ad Lucr. p. 24, 85, 313; de eadem Nepotis consuetudine exposuit Nipperdeius ad Themist. 5, 3; de Cicerone Madvig. gramm. §. 479, a. —

Sed hae priorum linguae reliquiae, quae in Catulli carminibus extant, nihil probant nisi citius atque facilius placita veterum damnari quam evitari; et quod Catullum primum novae poesis Graecanicae apud Romanos fuisse auctorem contendimus, haec sententia ne minime quidem vestigiis illis antiquitatis infringitur. quanquam Horatium parum honorifice de Catullo iudicasse et omnino studia eius poetica sprevisse constat; dixit enim: „dicar-princeps Aeolium carmen ad Italos deduxisse modos“ c. III, 30, 13; et epist I, 19, 23: „Parios ego primus iambos ostendi Latio.“ ac tantum abest ut eum quasi ducem et patrem noviciae illius poetarum scholae veneratus sit vel aliqua ratione laudaverit, ut eius v. 19 sat. 10 libr. I. sermonum non sine fastidio atque contemtu quodam mentionem fecerit. carpit illo loco hominem nulla praeter calvi et Catulli carmina decantare doctum; vituperat eum, quia leviora tantum et amatoria illorum carmina recitare soleat. quanquam Horatius ipse non-

nusquam, nisi fallor, verborum Catulli memoriam iocose repetiise videtur. credo quidem ei epod, 17, 40: „tu pudica, tu proba“ scribenti c. 42 (et maxime v. 24: „pudica et proba, redde codicillos“) Catulli obversatum esse. tota enim ratio versuum plane eadem est. cf. etiam Hor. sat. I, 2, 123 cum Cat. c. 86. 1. sed, utut est, certe ex locis supra allatis iam satis apparere mihi videtur, Horatium plurimum interesse inter sua et inter Catulli studia Graeca putasse. neque hac in re a vero aberravit. nam cum Catullus pauca admodum ab Alexandrinis potissimum poetis, quippe qui aetate proximi essent, quasi timidus et saepius verbum verbo reddens repeteret, Horatius, spretis recentioribus illis poetis, veteres Graecos imitari et totum genus lyricum ad Romanos ita transferre conatus est, ut integrae quidem imitationis exempla nusquam invenires, Graecum orationis colorem et ornatum ubique agnosceres. Catullus Graecorum artem primis tantum labris quasi degustavit, Horatius eam plane in suum succum et sanguinem, ut ita dicam, convertit. sed de Horatio Graecorum imitatore multi viri doctissimi scripserunt; nobis de Catulli poesi Graecanica breviter exponere liceat. itaque per singula persequamur, quae universe de Graeca imitatione eius diximus.

Ac primum quidem explorandum est, quaenam potissimum exemplaria Graeca imitatus sit. itaque cum Naevius, Ennius, Pacuvius et aequales veteres Graecorum poetas carminibus suis assequi studuissent, Catullus et qui *οἱ νεώτεροι* vocantur in primis poetas Alexandrinos, qui ipsi docti antiquorum Graecorum imitatores erant, sequendos sibi proposuerunt. namque non solum aetate proximi poetarum Graecorum, sed etiam ingeniis Catulli et amicorum maxime pares atque apti erant. abundant Alexandrinorum poemata doctrina et arte illa, quam frustra Romani apud veteres suos poetas requirebant. plena sunt remotarum et reconditarum fabularum ac perpolitae illius elegantiae, quam apud antiquos suos poetas incultos atque rudes iam dudum desideraverant. qua de caussa poetae novi a Cicerone no-

mine poetarum doctorum vel „cantorum Euphorionis“ inrisi sunt (Tusc. III, 19, 45). et Catullus quidem Callimachum principem Alexandrinae scholae poetam inprimis imitandum sibi sumpsit; cuius „exiguos elegos“ (ut ait Hor. a. p. 77) cum Latine redderet, brevi tempore tantam gloriam apud aequales sibi paravit, ut fautores et amici mox „expressa carmina Battiadae“ (c. 65, 16; 116, 2) sibi expeterent. itaque Catulli carmina cum ab Alexandrinis pendent, tum maxime imitationis Callimachiae plena sunt. eiusdem poetae iudicium de „tumido Antimacho“ (c. 95 b, 2) Catullum amplexum esse recte Diltheius libri quem de Callimachi Cydippa scripsit p. 19 contendit; item Callimachi brevitatis praeceptum secutus est. qui cum magna illa ἔπη aversaretur, itaque Homeri poesin non magni faceret (cf. Dilth. cit. loco initio), exigua illa carmina amatoria quasi invenit atque elegos et epigrammata prae heroico poesis genere Romanis commendavit. gloriatur ne unum quidem perpetuum carmen se confecisse:

οὐχ ἓν ἄεισμα διηνεκὲς ἤνυσα frg. 287, et frg. 165: μηδ' ἀπ' ἐμεῦ διφᾶτε μέγα ψοφέουσαν ἀοιδήν· quocum conferas Cat. c. 95b:

„parva mei mihi sint cordi monumenta sodalis“. vituperat Hortensium quia millia quingenta versuum uno in pede stans conscribere soleat, cf. c. 22, 3: „longe plurimos facit versus. puto esse ego illi millia aut decem aut plura perscripta“.

Contra imitationis veterum Graecorum poetarum rarissima vestigia in Catulli poematis extant. sola Sapphus carmina plurimi aestimasse eum multis argumentis probari potest. nam non solum carmine 51 Lesbiae poetriae odarium in Latinum convertit et c. 62 carmen illius nuptiale imitatus est, sed etiam c. 35, 16 amicam Caecilii „Sapphica musa doctiorem“ appellavit suamque puellam ficto „Lesbiae“ nomine celebravit. neque ei Simonidis carmina ignota fuisse ex verbis c. 38, 8: maestius lacrimis Simonideis“ colligere licet. num etiam alios poetas Graecos antiquiores imitatus sit ex eis poematis, quae nobis

tradita sunt, quanquam Homeri, Archilochi, Euripidis, Demosthenis verba ei nonnusquam ante oculos fuisse videntur, certius definire non possumus.

Iam postquam quaenam exemplaria Catullus secutus esset demonstravimus, sequitur ut quonam modo ea imitatus sit, explorare studeamus. qua in re distinguendum est inter imitationem Graecam, qua res et sententias de Graeco fonte ductas complectimur, et inter Graecismos quo nomine omnino elocutionem Graecanicam, quae grammaticam et rhetoricam huius dissertationis partem continet, amplecti mihi liceat.

ac primum quidem nobis de imitatione Graeca exposituris indagandum est, quaenam carmina Graeca Catullus ad verbum expresserit. cuius integrae imitationis Graecae exempla rarissima in poematis eius extant. certe plura agnoscere liceret, si Alexandrinorum et Sapphus carmina lyrica nostrae memoriae tradita essent. sed cum pleraque iniquitate temporum deleta sint, in summa poematum melicorum iactura duo vel tria tantum certa plenae imitationis exempla apud Catullum inveniuntur, quae cum carminibus Graecis comparare possimus. quorum primum ex Sapphus odario quod incipit: *Φαίνεταί μοι κῆνος ἴσος θεοῖσιν ἔμμεν ὤνηρ ὅστις κτλ.*

(frg. 2 Schneidew. cf. Theocrit. id. 2, 105 ss.) expressum esse constat. suavissimum illud poema carmine 51 verbum verbo et eodem metro reddens in linguam Latinam Catullus transtulit. ceterum utrum verba illa: „otium, Catulle, tibi molestumst“ ss. poeta Veronensis Sappho imitatus conscripserit (Lachmannus ea a Sapphicis *ἀλλὰ πᾶν τολματόν* expressa esse putat), an de suo ingenio addiderit, hodie quidem, cum carmen Graecum non integrum nobis traditum sit, diiudicare non possumus. certe Catullum se ipsum nominasse et quasi carmini immiscuisse priori opinioni repugnare nullo modo potest. namque eodem modo v. 7 „Lesbiam“ commemoravit. ceterum equidem non video, cur versus illi ab hoc carmine separandi sint. optime enim sententiae totius poematis inter se congruunt atque cohae-

rent. aliter Horatius idem Sapphus odarium imitatus est; nam cum Catullus carmen Graecum fere ad verbum et eodem metro c. 51 exprimeret, Horatius nativam carminis formam prorsus obscuravit et ita suo ingenio immutavit, ut in singulis verbis quidem similitudo nulla appareret. sic enim dulcissimam illam imaginem ad suum usum convertit c. I, 13, 5 ss.

„tum nec mens mihi nec color
certa sede manet, umor et in genas
furtim labitur, arguens
quam lentis penitus macerer ignibus“

et c. IV, 1, 35 et 36: „cur facunda parum decoro
„inter verba cadit lingua silentio“,

(id quod iam Lessingius „rettungen des Horaz“ agnoverat). singulis verbis spretis solam comparationem transtulit. et cum ubique Horatium libera illa imitatione Graecos poetas amplexum esse sciamus, Garckius a vero aberrare mihi videtur cum adnotat (libri qui inscribitur: Q. Hor. F. carminum libr. I collatione script. Graec. illustr. p. 42): „ante oculos poetae fuit in his nobile Sapphus carmen illud φαίνεταί κτλ., quamquam vix ullam verborum similitudinem deprehendas; quod Horatius cavit, credo, propter Catullum“. immo more suo Sappho secutus est.

tum c. 62 amoebaeum de Sapphus epithalamio quodam expressum esse H. Koechlius (orat. acad. Turici 1859 I 198) multis probantibus contendit. et cum iam antea viri docti similitudinem quandam cum Sapphus quibusdam fragmentis esse agnovissent (cf. Haupt. quaest. Cat. p. 27 s: „poema 62, quo nitidissimo carmine Catullum Sapphus epithalamia imitatum esse scita est Isaaci Vossii (p. 189) coniectura; id cum alia probabile reddunt, tum maxime comparationes, quarum magna est cum Sapphus quibusdam versibus similitudo“), Koechlius certa imitationis vestigia nuper invenisse sibi visus est; putat enim Sapph. frg. Bergk. 133: ἀστέρων πάντων ὁ κάλλιστος Catulli v. 26: „Hespere qui caelo lucet iucundior ignis?“ — Bergk. frg. 95:

Ἕσπερε, πάντα φέρεις, ὅσα φαίνολις ἐσκέδασ' αὔως·
οἶν σὺ φέρεις τε καὶ αἶγα φέρεις καὶ ματέρι παῖδα.

Cat. vv. 32—38, frg. 94 Bergk.:

οἷαν τὰν ὐάκινθον ἐν οὔρεσι ποίμενες ἄνδρες πόσσι κατα-
στείβοισι, χάμαι δέ τε πόρφυρον ἄνθος. . . .

Cat. vv. 39—58 respondere. ac profecto Catullum Sapphus versus imitatum esse video, transtulisse equidem agnoscere non possum. multo veri similior opinio Leutschii esse mihi videtur, quam protulit nunt. erud. Gotting. 1855 tom. III: credit enim Catullo epithalamia Sapphus ita obversata esse, ut omnem c. 62 conformationem atque habitum et sententias nonnullas ab eis repeteret; sed tantum abesse, ut eam omnino secutus sit, ut et imagines atque sententias vere Romanas carmini intexuerit, et Callimachi (v. 35 coll. Callim. frg. 52 Naeke op. II p. 38; v. 57 coll. Callim. ep. I, 16), Lucilii, Lucretii memor fuisse videatur.

Pergo ad c. 66 Catulli, quod ex Callimachio poemate „de coma Berenices" (*Βερενίκης πλόκαμος*) in Latinum conversum esse ex vestigiis nonnullis ita colligere licet, ut nemo de hac re dubitare possit. sed graviter dolendum est, elegiam illam poetae Alexandrini intercidisse. extant enim tria tantum carminis Callimachii fragmenta, quae a Catullo expressa esse inter omnes constat. sunt autem haec:

ἦ με Κόνων ἔβλεψεν ἐν ᾐέρι τὸν Βερονίκης βόστρυχον,*
ὃν κείνη πᾶσιν ἔθηκε θεοῖς

* (*ἐν αἰθέρι* reponendum esse putant Meinek. ed. Callim. p. 195 et Bergk. anth. lyr. ed. alt. Lips. 1868 p. XV proleg.), quos versus Catullus his verbis Latine vertit: c. 66, 7 ss.

„idem me ille Conon caelesti in lumine vidit
ee Bereniceo vertice caesariem
(fulgentem clare), quam cunctis illa deorum
(levia protendens bracchia) pollicitast."

in quibus „cunctis" et „deorum" Hauptio (quaest. Cat. p. 79 ss.)

debentur. eandem fere coniecturam postea P. Bosscha in libro, quem de coma Berenices scripsit, protulit; sed pessime „dearum“ librorum mss. in „deabus“ mutavit; tum

σήν τε καρηὶν ὤμοσα, σόν τε βίον

Catullus v. 40: „— adiuro teque tuumque caput“, et

Χαλύβων ὡς ἀπόλοιτογένος,
γειόθεν ἀντέλλοντα κακὸν Φύτον οἵ μιν ἔφηναν

vv. 48 ss. expressit: „(Juppiter) ut Chalybon omne genus pereat,

„et qui principio sub terra quaerere venas
„institit ac ferri stringere duritiem.“

videmus igitur Catullum (id quod vel ex odario Sapphus a Catullo converso cognoscere licuit) verbum fere verbo reddidisse fidissimumque Graeci poematis fuisse interpretem. nec tamen neglegendum est eum poetam proprio eoque summo ingenio praeditum, non vilem fuisse imitatorem vel ludi magistrum. caveas igitur ne anxie eum singula verba conservasse putes. sententias omnes et integras, quantum id fieri potuit, repetiit, verba partim traiecit, partim pluribus enuntiavit. itaque etiam alia nonnulla, etsi dubia, fragmenta elegiae Callimachiae extare mihi videntur, quae collegit Naekius, vir doctissimus, libri de Callimachi Hecale p. 162 s.; sic πρὶν ἀστέρι τῷ Βερενίκης verbo „mihi“ v. 82 respondere valde probabile mihi est, quam nimiam esse licentiam poetae ex Graecis convertentis nemo contendet; tum frg. 305: δέδαεν δὲ λαχαινέμεν ἔργα σιδήρου, v. 49: „sub terra quaerere venas institit ac ferri“ s., frg. 297: ἥδεα μᾶλλον ἐγώ κοτε et frg. 255: λύχνα Φανείη versibus Catulli 25, 26 et 79 respondere neque negare neque probare audeo; item frg. 152: ἡ ἀπὸ (Bergk. c. l. ἦγεν ἐπ') Ἀσσυρίων ἡμεδαπὴ στρατιή ad v. 12 Catulli: „vastatum finis iverat Assyrios“, frg. ἔτι πλοκάμοιο περίθριξ ad. v. 77: „quicum ego, dum virgo quondam fuit“ referri posse concedo. etiam maiore veri specie Bergk. c. l. p. 154 ἐσχατίην ὑπὸ πέζαν ἐλειήταο λέοντος (etym. M. 330, 20) cum

v. 65: „saevi contingens namque leonis lumina“ comparasse mihi videtur. sed cum omnino eorum partes sequar, qui Catullum fidum interpretem Callimachi fuisse censent, nullo modo Naekii sententiam probare possum, qui c. l. p. 162 verba Catulli v. 80 ss „non prius unanimis corpora coniugibus tradite nudantes reiecta veste papillas, quam iucunda mihi munera libet onyx“ exemplum liberae imitationis esse putat. „certe“ inquit „nudantes reiecta veste papillas“ eam speciem habet, ut propriae Catullo lasciviae super exemplar Graecum luxurianti tribuendum esse dicas; Callimachus hoc fortasse brevius ac modestius.“ sed iam Valckenarius (in elegiam Catulli Callimacheam adnotationes p. 195) doctissime ostenderat. „nudantes papillas“ Graecorum esse κόλπον ἀνιεμέναι, usitatissimo poetarum usu inde ab Homeri temporibus (cf. Il. 22, 80). eadem fere verba in Propertii carminibus extant („Helene nudis capere arma papillis“ fertur et Hippolyte „nuda“ tulit arma „papilla“), quem permulta poetis Alexandrinis debere notissimum est. tum „onyx“ illud ex Graeco scriptore translatum esse demonstravit Valckenar. c. l. p. 196, cum docuit, Romanos, quibus diu unguentorum usus ignotus fuit, vasa, quibus unguenta servarentur, Graecis verbis appellasse „alabaster“ et „onyx“. itaque totum hunc locum ex Graeco fonte fluxisse veri simillimum est et certe Naekius cum Callimachum „brevius“ hoc narraturum fuisse condendit a vera ratione aberravit; ipse Naekius c. l. p. 9 de propria Callimacho „ubertate“ sive „loquacitate“ doctissime exposuit. ceterum c. 66 Graecis loquendi formulis abundare nemo negat; de qua re alio loco nobis disserendum est.

Restat ut de alio elegiae Callimachiae fragmento breviter exponamus, quam a Catullo Latinis numeris redditam esse Rossbachius atque Diltheius, viri doctissimi, coniecerunt. quorum postquam alter p. XVIII edit. audacius haec scripsit: „vers. 19 et qui sequuntur (c. 65) seiunxi ab iis quae praecesserunt; continent enim fragmentum carminis Callimachei, quod Latine vertit Catullus, praeter hos versus prorsus intercepti“, mox

Diltheius elegiam illam Callimachiam, ex qua expressi essent versus Catulli, invenisse sibi visus est. referendos enim esse versus illos putat ad elegiam, quam adumbrare in libello de Callimachi Cydippa conatus est. qua in elegia postquam Acontius amore Cydippae captus furtim pomum ad pedes puellae inter primores virgines sedentis provolvit, Diltheius ipse hisce verbis pergit p. 65: „ambigit nutrix (prope Cydippam in templo stans), num profanum malum sit, quod cui forte virginum, quae simul adsunt in templo, e sinu defluxerit, an deae sit sacratum; comparaveris Catullianos versus 65, 19—24: „ut missum sponsi „furtivo munere malum procurrit casto virginis e gremio“ ss.; putat igitur Catullum versus illos e Cydippa Callimachi expressisse, itaque se fragmentum alterius „carminis Battiadae expressi“ deprehendisse credit; nam cum „carmina“ v. 16, c. 65 a Catullo promissa sint, non „carmen“, cum unum dein praebeatur Callimachium carmen (c. 66), perprobabile esse versus 19—24 (c. 65b) fragmentum esse alterius carminis amico promissi, praesertim cum, „si adiungerentur praecedentibus, nimio profecto pondere parumque apta imagine simplicem obliviscendi notionem inlustrarent.“ sed hac quidem in re immemor fuisse videtur eorum, quae Hauptius de hac comparationum persequendarum arte in quaest. Cat. p. 90 demonstravit. ac rectissime Schwabius p. 273 (quaest. Cat.) sensum totius loci ita explicavit: „mitto tibi haec carmina, ne verba tua ita e memoria mihi excidisse putes, ut malum ab amatore missum ex gremio puellae inproviso excidere solet.“ sic omnia aptissime inter se cohaerent; ipse porro Diltheius adnotavit, imagines illas de usu amatorio pomorum petitas usitatissimas fuisse Graecis: p. 60: „poma apud veteres scriptores saepe in sinus puellarum iacta esse“, et p. 114: „in moribus atque institutis ad canam vetustatem redeuntibus multiplex cernitur pomorum usus amatorius.“ ceterum locus ille, quem ex Propertii carminibus attulit, c. I, 3, 23 ss, nihil probat, nisi alios quoque scriptores suavissima illa imagine quippe quae publici iuris esset, usos esse: itaque non est, cur hoc loco

de pomo Acontii et de imitatione Callimachia cogitemus; neque contendere debebat Diltheius in codice archetypo inter v. 18 et 19 unam intercidisse foliorum compagem. his enim remediis omnia perficere possumus. iam si quaeris, cur tandem Rossbachius et qui eum secuti sunt, hoc loco fragmentum Callimachium agnoscere studuerint, facillimum est caussam coniecturae illius afferre: „carmina“ enim expressa Battiadae promiserat Catullus; unum extat c. 66. sed reminisci debebant viri doctissimi eorum quae Valckenarius docuit, Catullum ad Ortalum hoc unicum misisse carmen quod extat de coma Berenices, ut „carmina“ apud Catullum significarent „versus“. contulit Brueggemannus p. 29 („de C. Val. Cat. elegia Callimachea“) Ovid. ep. XV. 5. quem locum Gesnerus s. v. carmen recte explicat cum dicit: carmina „duo versuum genera, quae invicem et alternis sibi succedunt; sic vocantur elegi.“ recordari porro debebant viri doctissimi, non omnia Catulli carmina nobis tradita esse; quot imitationis exempla inveniremus, si Callimachi elegiae hodie extarent quis enim negabit c. 64 Catulli Callimachi prodere imitationem? sed quis tandem in hac tanta reliquiarum exilitate certa affirmare conetur? quot integras Callimachi imitationes haberemus! ubi enim extant conversiones illae, quibus Catullus amicum iratum sibi conciliare studuit (c. 116; „carmina Battiadae“) et quibus tantam apud aequales gloriam consecutus est, ut Q Hortensius Ortalus, summus illius aetatis orator, „expressa carmina Battiadae“ sibi expeteret (cf. c. 65); idem apparet ex c. 68 a quo Manlio, qui per epistolam Catullum rogaverat, ut carminibus afflictum eius animum recrearet, se ipsum gravissimo de fratris morte dolore commotum conscribendis carminibus plane imparem esse respondet. Manlium enim carmina e Graecis expressa poposcisse vel ex verbis illis (v. 10) „munera Musarum“ elucere mihi videtur; eadem ratione c. 65, 3 „Musarum fetus“ v. 16 „expressis carminibus Battiadae“ poeta ipse interpretatus est, cum brevissima illa carmina amatoria „nugas“ (c. 1, 4), „versiculos“. (c. 16, 3 et 6), ineptias“ (c. 1 b) modestissime appellaret repu

es porro verba v. 2: „sevocat a doctis virginibus“; etiam in c. 1 verba „nugas“ et „chartis doctis — et laboriosis‘, inter se opposita sunt. similiter Horatius lyrica sua poemata „carminum‘‘ nomine ceteris poematis opponit ep. II, 2, 59 s.: „carmine tu gaudes, hic delectatur iambis“, et v. 91: „carmina compono, hic elegos.“ et quod credo „muneribus Musarum“ v. 10 carmina e Graecis expressa significari, haec opinio sententia nostra de explicando c. 68a confirmatur, quam in transcursu proferre mihi liceat. poposcerat igitur Manlius Catullum v. 10: „munera Musarum et munera Veneris“ (cf. v. 39: „quod tibi non utriusque petenti copia factast“), quibus verbis poeta non aliorum, ut Westphalius (p. 69 libri „Catulls gedichte“ 1867) vult, libellos carminum ex bibliotheca depromendos (munera Musarum) et carmina amatoria a Catullo ipso composita (munera Veneris) significavit. immo verbis illis duo illa genera carminum notantur. quae adhuc in libello nostro Catulliano permixta extant. itaque „muneribus Musarum“ carmina illa poetae docti indicantur, quae Catullus ex Graeco vertit, quibus opposita sunt „munera Veneris“, i. e. brevia illa carmina amatoria atque iocosa, quibus Catullus inprimis excelluit. saepius Propertius atque Ovidius suavissimorum illorum carminum „lascivi“ Catulli, quibus Lesbiam celebravit, mentionem fecerunt, elegiarum nusquam. hanc interpretationem veram esse ex tota sententiarum compositione apparet. vv. 5 et 6 enim caussam Manlii proferunt, cur carmina amatoria poposcerit: vv. 7 et 8, cur poemata de Graecis expressa habere voluerit; namque „carmina veterum scriptorum“ carmina de Graecis conversa esse ex re ipsa apparet. eodum modo Graecos Horatius „veteres“ nominavit sat. II, 6, 61; II, 7, 101. quae duo genera carminum Catullus v. 10 uno versu, usus figura illa, quam chiasmum appellamus, complexus est; vv. 5 et 6 enim „munera Veneris“, vv, 7 et 8 „munera Musarum“ respondent. itaque vel hac ex causa elucet „munera Musarum“ non libellos carminum poetae alicuius esse, sed poemata, quae Catullus ipse a veteribus, i. e. a Graecis auctoribus expresserit. his opposita sunt „munera Veneris“,

quibus carmina illa iocosa et ludicra, quae alibi „nugas“ vel „ineptias“ appellabat, significata sunt. iam Manlio amico poeta respondet se, cum gravissimo dolore de fratris morte oppressus sit, precibus eius satisfacere non posse. ac primum quidem, cur „munera Veneris“ conscribere non possit exponit v. 11—32; prioribus quidem temporibus magis idoneum se fuisse amatoriis carminibus componendis. nam „tempore quo primum vestis mihi tradita pura est — multa satis lusi“; verbo illo „ludere“ carmina ludicra vel amatoria componere significari ex ipsius Catulli loco apparet, cf. c. 50, 2: „hesterno Licini die — multum lusimus“, id quod statim explicatur „scribens versiculos uterque nostrum ludebat“ ss. sed tempus illud felix subito morte fratris carissimi finitum est: „cuius ego interitu tota de mente fugavi haec studia“: itaque neque res amatorias sequor (v. 27—30) neque carmina amatoria scribere possum (v. 31 et 32): tum, posteriore parte huius carminis inde a v. 33 usque ad v. 36 breviter explicat, cur ne carmina ex Graeco vertere quidem possit; non enim librorum copiam Roma, ubi bibliothecam habebat, Veronam secum portaverat: „huc una ex multis capsula me sequitur“; itaque iterum Catullus chiasmi formula usus est: muneribus enim Musarum decimi versus vv. 33—36, muneribus Veneris vv. 11—32 respondent; coniunctio illa „nam“ v. 33 sive liberius posita est, ex notissimo illo more, ita ut secundum negligentiam illam, cui in epistolis ad amicos missis indulgere solemus, hae fere sententiae cogitatione supplendae sint: ne alterius quidem rei quam petis copiam tibi facere possum, quia Veronae libros non habeo; quam sententiam tacens statim caussam affert, cur sibi Veronae libri non sint: „quod scriptorum non magna“ ss. v. 33; sive si cui haec explicatio nimis arguta esse videatur, mutatione lenissima „tum“ pro „nam“ corrigi potest. ac ne forte quis inaequalitate partium carminis offendatur, memor sit, precor, eorum quae Hauptius (ind. lect. Berol. aest. a. 1855 p. 11) de arte illa cum Alexandrinorum, tum maxime Callimachi exposuit. tantum enim abest ut aequabilita-

tem carminum ubique consectati, sint, ut eam studio quodam devitaverint.

Sed ut eo revertar, unde sum egressus, ipsis levissimis illis versiculis, quibus amores suos Catullus celebravit, Callimachum imitatus esse videtur. reputes quidem ea quae Ovid. trist. II, 367 dixit: „nec tibi, Battiade, nocuit, quod saepe legenti delicias versu fassus es ipse tuas"; cf. Dilth. c. l. p. 76: „Callimachum — rerum suarum memoriam identidem immiscuisse (aetiis)"; sic Callimachi ipsius nomen (de Catullo res notissima est) nonnusquam in epigrammatis occurrit, cf. ep. 21, 1; 35, 1: Βαττιάδης.

haec certa plenae imitationis Graecae exempla apud Catullum extant.

Sequitur ut de altero genere imitationis Graecae accuratius exponamus. quo genere ea vestigia coloris Graeci orationis complectimur, quae in Catulli carminibus agnoscere licet. itaque colligenda sunt et res et sententiae, quascunque e Graeco fonte fluxisse putamus.

Sed antequam ad rem ipsam adgredior, denuo commemorandum est, poesin Catullianam inter veterum poetarum Latinorum simplicitatem et Horatii artem perpolitam quasi mediam interiacere; in Catulli carminibus facile quaenam Graecis debeat agnoscimus; apud Horatium propria a Graecis secernere difficillimum est. nam cum huius poemata doctrinae Graecae omnino plena essent, Catullus nondum tam penitus ea imbutus erat, ut omnia eius carmina externo illo splendore excellerent. magna quidem pars poematum Catulli doctrina illa caret. itaque duo genera carminum facile apud eum discernere potes: alterum illorum, quae ornatu Graeco orationis splendent, alterum illorum, quae simplicitate animos magis vel indoctissimi cuiusque permovent, quam aures hominum doctorum oblectent. iam carmina ea, quae Graecam imitationem produnt, enumerabimus.

ac primum quidem huc referenda sunt ea carmina, quae tot ac tam certis imitationis Graecae vestigiis excellunt, atque ita Graeca exemplaria spirant, ut ea ex aliquo carmine nunc

deperdito translata esse admodum probabile sit. id quod — ut inde ordiamur — de carmine 7 suspicari licet, quod eodem fere tempore, quo c. 51, ubi primum poeta Lesbiam amare coepit, scriptum est. hoc vel inde colligere possumus, quod verus ille ardor, quem in ceteris carminibus quibus Lesbiam cecinit Catullus admiramur, plane abest. certe si non omnino caret ardore carmen, poeta ipsis ex intimo animo et summo fervore amantis verbis uti quasi nondum ausus alius poetae verbis et sententiis Lesbiam celebrat. nam cum in ceteris illis poematis dulcissimis Catullus quid in intimo animo sentiat simplicissimis eisque verissimis verbis exprimere atque enarrare soleat, in c. 7 comparationes illae v. 3 ss.: „quam magnus numerus libyssae arenae lasarpiciferis iacet Cyrenis“ (cf. Callim. h. in Dian. 253: ψαμάθῳ ἶσον et quae Garckius ad Hor. c. I, 28, 1 adnotavit: „numeroque carentis arenae: erat proverbii instar apud Graecos ψάμμος ἀριθμὸν περιφεύγει (Pind. Ol. II, 108 B)“ et v. 7: „quam sidera multa — vident amores“ (cf. Callim. in Del. v. 175: ἰσάριθμοι τείρεσιν), tum verba illa, „oraclum Jovis inter aestuosi et Batti veteris sacrum sepulcrum“, et constructio illa etymologica vel Graeca, quae appellatur, „basia basiare“, Catullum poetam Alexandrinum vel ipsum Battiadem imitatum esse aperte demonstrant. item Callimachum secutus est cum „Cyrenis“ prima syllaba correpta scripsit cf. Meinek. ed. Call. p. 308 ad epigr. XIII: „in hoc nomine Κυρηναίου Callimachus primam producit etiam Dian. 206, ceteris locis corripit v. Apoll. 73, 88, 94; ep. 20, 5; 21, 2.“

porro c. 64 adeo Alexandrinum orationis colorem refert atque ita abundat Alexandrinae dictionis formis, ut rectissime Hauptius (ind. lect. Berol. aest. 1855) contenderit: „c. 64 Catullus Alexandrinam poesin feliciter imitatus scripsit“; et paullo post: „factum esse c. 64 imitatione epylliorum Alexandrinorum contendimus.“ neque minus recte illorum temeritatem vituperat qui carmen 64 a Catullo satis accurate e Graeco conversum esse probare studuerint; idem l. c. permulta imitationis Alexandrinae vestigia collegit: etenim et orationis forma versuumque numeris

et ipsa totius carminis compositione Alexandrinorum poetarum exemplar hoc carmine Catullus expressit. sed neque unum poetam secutus neque ita Alexandrinae poesis formam amplexus est, ut plane a docta antiquiorum imitatione abstineret. immo et Callimachi Theocritique et Homeri Demosthenisque locos cum Catulli versibus Hauptius comparavit. quibus nonnulla addo: v. 8: „diva — retinens in summis urbibus arces“ Graecorum πολιοῦχος est; v. 273: „cachinni“ Graecorum γέλασμα κυμάτων reddit; v. 338: „expers terroris Achilles“ ἄφοβος, μεγαλήτωρ, v. 340: „victor certamine cursus“ πόδας ὠκύς Homeri est; v. 358 ss. Achillis virtutes respiciuntur, quas Homerus enarrat in Il. libr. 21 intercalares denique versus illi qui carminis quod Parcae canunt singulas partes concludunt: „currite ducentes subtegmina, currite, fusi“, Theocriteae poesis memoriam excitant.

item ex fabulis Graecis argumentum frg. c. 2b petitum est, in quo Atalantae pernicis zona commemoretur. neque minus c. 45 ex Graeco fonte fluxisse, id non solum tota illa arte qua singulae carminis partes compositae sunt (respondent enim inter se tanquam stropha, antistrophe, epodos) et versibus intercalaribus: „hoc ut dixit, Amor“ s. iam satis probatur, sed etiam ex doctis illis loquendi formulis, quibus in suis poematis Catullus nunquam usus est, concludi potest. nam cum poeta Veronensis Lesbiam suam „cariorem ocellis“ vel „ipsa vita“ celebret, v. 22 Septimius Acmen suam mavult „quam Syrias Britanniasque“; neque credo Catullum Lesbiae suae unquam idem promissurum fuisse, quod Septimius puellae suae pollicetur, cum dicit, se, si unquam Acmen amare desierit, solum „in Libya Indiaque tosta caesio obvium leoni“ venturum esse; quae „Libya tosta“ ut supra „Libyssa arena“ Alexandrinum exemplar spirat. hac occasione data addere nonnulla audeo de versibus illis intercalaribus:

„hoc ut dixit, Amor sinistra ut ante
dextra sternuit approbatione“;

haec quidem verba in optimis libris mss. leguntur, tantum ut nonnulli v. 17 et 18, ubi eidem versus repetuntur „hoc ut dixit, Amor sinistravit ante dextram sternuit approbationem“ ferant; quae intellegi omnino non possunt. sed ut aliorum coniecturis relictis statim quid ipse de hoc loco sentiam breviter exponam, in cod. archetypo haec verba scripta fuisse puto, unde utraque lectio librorum mss. deducta esse posset:

„hoc ut dixit, Amor, sinister ante.
dextram sternuit approbationem“,

(cf. Theocr. id. 7, 96 ἔρωτες ἐπέπταρον; id. 17, 72; 18, 16); quae verba optime „Catullo simpliciter ubique loquenti neque unquam orationem oneranti“ (ut Hauptii verbis utar) respondent. illud „sinister“ a scribis glossa interlineari quam vocant (quarum haud paucas in libro Veneto extitisse Schwabius doctissime p. 21 editionis docuit), ita explicatum est, ut haec verba in codice superscripta essent: sinister = sinistra avi (cf. Plaut. Epid. 2, 2, 2; Ps. 2, 4, 72; Ov. her. 2, 115); quae glossa in ipsum textum irrepsisse videtur, ut pro more veteri scriptum esset: „sinistravi“, altero a extrito ut non raro in membranis vetustioribus (cf. Bentl. ad Hor. sat. I, 2, 30 et I, 4, 25); unde et librariorum illud „sinistravit“ natum esse videtur (ut i pro it legeretur) et altera lectio codicum „sinistra ut“ facillime explicatu est, cum i et t litterae saepe numero a librario Veronensi inter se commutatae sint (cf. Schwab. in praefatione p. 25); uno codice H vera lectio, nisi fallor, „sinister ante“ servata est: Amor „sinister“ i. e. infaustus ex Graeco more loquendi nominatur. (cf. Hor. od. III. 27, 15: „picus laevus“ i. e. infaustus; Cat. 63, 77: „laevum pecoris hostem“): itaque quod totum carmen e Graeco expressum esse contendimus, opinio illa hac ipsa re satis confirmatur. ac profecto miror quod doctos interpretes effugit, opposita esse inter se omen sinistrum sive infaustum, quod antea amorem turbaverat, et omen dextrum sive faustum quo nunc sese amare coeperunt. quae oppositio aperte v. 19: „nunc ab auspicio bono profecti,“ s. significatur: sententia igitur

verborum illorum non haec est, ut plerique voluerunt: „Amor, ut ante fecerat, a sinistra ad dextram sternuit, quae fuit dextra approbatio vel omen secundum“ (Rossbach praef. p. XI), sed haec: „Amor, qui antea omine infausto amantes dolore affecerat atque vexaverat, nunc bis sternuendo omen secundum edidit“; namque fidelitas illa, qua amantes ipsis deis invitis perpetuum amorem sibi promiserant, tandem Amorem ut approbationem atque assensum indicaret commovit; itaque cum duabus prioribus strophis v. 1—9 et v. 10—18 sempiternum sibi polliceantur amorem vel malis auspiciis, in epodo summa illa laetitia amantium approbatione dei commota describitur: „nunc ab auspicio bono profecti“ ss.“ „nunc“ pro „sed nunc“, ut saepius, cf. c. 4, 25; 8, 9; 21, 10; 39, 17; 72, 5; 75, 1; 83, 4; 101, 7 „nunc tamen“; 78, 7: „sed nunc“; Graecorum νῦν δέ. in eodem carmine „dulcis pueri ebrii ocelli“ v. 11 Graeco modo dicti sunt, cf. Anacr. frg. 10, 2. Schneidew. μεθύων ἔρωτι· similiter in c. 34 componendo Catullo Alexandrini poetae exemplum ante oculos fuisse facile concedes, ubi haec verba: „Latonia — quam mater prope Deliam deposivit olivam“ cum hisce Callimachi: μήτηρ σ' ἀπεθήκατο (h. in Iov. 15) et Theocriti: κάτθετο (id. 26, 34) comparaveris. c. 61 quoque, quo omnes fere Graecorum fabulae inde a phrygio iudice Veneris usque ad optimam matrem Telemachi proferuntur, ex Graecis haustum esse perprobabile est; in eodem carmine et plurimi versus intercalares (o Hymen Hymenaee io, o Hymen Hymenae“ cf. Arist. av. 1736, 1742 ss. ed. Bergk; „compararier ausit“, „prodeas nova nupta“, „concubine nuces da“), et plurimae formulae loquendi Graecum exemplar produnt; v. 2: „(Uraniae) genus“ Graecorum γένος est; cum v. 13: „voce — tinnula“ compares εὐήχος Callim. h. in Del. 296; v. 14: „pelle humum pedibus“ c. l. v. 306: ποδοῖν πλήσσουσι οὖδας. v. 137: „hodie atque heri“ Graecorum more dictum est: χθὲς καὶ τήμερον.

pergo ad c. 63, quo Cybeles, „magnae deae, dominae Dindymei“ (cf. Δινδυμήνη. cum v. 29: „cymbala recrepant“ com-

pares Graecorum κύμβαλα ὀξύφθογγα) sacra describuntur. quod carmen Alexandrinorum et ratione et doctrina compositum esse nemo infitiabitur. neque minus c. 68b, quo Allium fautorem ummis laudibus extulit, Graecae doctrinae flosculis exornatum est. huc et multarum fabularum usus et docta illa de Laodamia digressio v. 73—105 pertinent; v. 148: „dies candidiore nota“ Graecorum est λευκὸν ἦμαρ, λευκὴ ἡμέρα cf. Cat. 8, 3: „candidi soles“; „soles“ quoque Graecorum more dicti sunt: ἥλιοι (cf. Valcken. ad v. 89—92 eleg. Call. Catull.); conferas porro λευκὸν φάος, λευκὸν ἔαρ, λευκὸν θέρος (Call. h. in Cer. 123).

restat ut nonnulla Graecae imitationis c. 66, quod ex Callimachia quadam elegia translatum esse iam supra vidimus, vestigia colligamus. ac totum carmen refertum Alexandrinae orationis formulis felicissime Iosephus Scaliger Graece interpretatus est; v. 2: „ortus-atque obitus“, cf. Cic. in Arat. v. 64, v. 593; in frg. 2. Marii v 8. (Baiter-Kayser), sic Graeci ἀνατολὰς καὶ δύσεις, ἐπιτολὰς καὶ κρύψεις. v. 3: „rapidi solis“, cf. Call. ὀξὺν ἥλιον ep. 30, 1 Mein; v. 10: „levia protendens bracchia“, cf. χεῖρας ἀνασχεῖν vel ἀείρειν θεοῖς. v. 23: „exedit cura“ (cf. c. 91, 6: „me edebat amor“) Graece κατεσθίειν. (cf. c. 35, 15: „misellae ignes interiorem edunt medullam“;) cum v. 57: „Zephyritis“ interpretes contulerunt verba Stephan. de urbibus sub voce Ζεφύριον: ἔστι καὶ ἄκρα τῆς Αἰγύπτου, ἀφ' ἧς ἡ Ἀφροδίτη καὶ Ἀρσινόη Ζεφυρῖτις, ὡς Καλλίμαχος· ad v. 67: „tardus Bootes“ adnotat Valcken: „Homerus iam dixerat in Od. ε, v. 272: ὀψὲ δύοντα Βοώτην. (cf. Quinti Ciceronis frgm. de 12 signis v. 19 et 20.) ad v. 68 Naekius c. l. p. 258 haec scribit: „vix sero: haud facile altero exemplo latino comprobandum inter ea putaverim esse, quae Catullus ad verbum expressit e Graeco exemplo suo (μόλις ὀψέ)“; v. 78: „milia multa“ cf. Cat. 5, 10; 16, 12; 61, 210 cum Theocr. 25, 88: μάλα μυρίαι et Hom. Od. 16, 121: μάλα μυρίοι. v. 85: „levis bibat-pulvis“ quocum cf. Theocr. 22, 167 et 29, 37 atque similes Catulli imagines c. 64, 59; 30, 10; 70, 4:

quod epigramma Callimachi (ep. 25 Mein.) imitatus conscripsit; conferas enim verba Catulli:

„nulli se dicit mulier mea nubere malle
quam mihi, non si se Iupiter ipse petat.
dicit: sed mulier cupido quod dicit amanti
in vento et rapida scribere oportet aqua."

(cf. catal. Vergil. I) cum verbis Callimachi:

ὤμοσε Καλλίγνωτος Ἰωνίδι, μήποτε κείνης
ἔξειν μήτε Φίλον κρείσσονα μήτε Φίλην.
ὤμοσεν. ἀλλὰ λέγουσιν ἀληθέα τοὺς ἐν ἔρωτι
ὅρκους μὴ δύνειν οὔατ' ἐς ἀθανάτων.

proverbii loco apud Graecos καθ' ὕδατος γράφειν dici solet; verba „festis luminibus" v. 90 c. 66 Callimachium quiddam sonare iam dudum viri docti adnotaverunt, cf. Call. h. in Dian. 182; h. in Cer. 83: φάεα. —

Transeo ad aliud genus carminum, in quibus Catullus Graeco orationis ornatu usus est. adhibuit eum in epistolis quas ad amicos qui e numero poetarum doctorum erant, scripsit. qui cum una cum Catullo Alexandrinos poetas sequendos sibi proposuerint, facile intellectu est, cur poeta Veronensis in epistolis illis potissimum Graeca eruditione atque urbanitate excellere studuerit Alexandrinaeque doctrinae ostentationem admiserit. sic in epistola ad Q. Hortensium Ortalum missa, qui „carmina expressa Battiadae" sibi expetierat, mortem „Lethaeum gurgitem" et poemata „Musarum fetus" appellat; in eodem c. 65 dicit, se mortem fratris gravissimo maerore lugere tanquam „Dauliada absumpti fata gementem Itylei", quae verba nullo modo, id quod nunc plerumque docti interpretes putant, in c. 101 inserere licet; namque Catullum in hoc carmine simplicissimo et dulcissimo, quo verissimos suos dolores effudit, Graeca doctrina usum esse equidem non credo. etenim ubique eum ex intimo animo loquentem intimasque sententias suas detegentem fabulas illas Graecas spernere atque fugere videmus.

tum in epistolis cc. 35 et 38 ad Caecilium et Cornificium poetas datis „Sapphica Musa“ et „lacrimae Simonideae“ commemorantur; in c. 95, quo more illo τῶν νεωτέρων Zmyrnam Cinnae amici popularibus suis commendat et carmen illud ad posteros et in terras remotissimas „cavas Satrachi penitus ad undas“ propagatum iri pronuntiat, „tumidi Antimachi“ mentionem fecit. huc etiam c. 50 referendum est, ubi verbum „ludere“ eodem modo quo Graecorum παίζειν usurpatum est; idem verbum et Graeci et Catullus de amore et rebus ludicris frequentaverunt: cf. 2, 2 et 9; 17, 17; 68, 156; 61, 211; etiam v 6; „per iocum atque vinum“ (cf. c. 12, 2: „in ioco atque vino“) Callimachi recordatus scripsisse videtur, cf. Call. ep. 35 Mein: οἴνῳ καίρια συγκεράσαι. huc adde quod initium c. 27: „minister vetuli inger“ ss. usitatissima carminum Anacreonteorum formula dictum est (cf. Garck. c. l. p. 162); c. 1, versum 10 Callimachi frg. CXXI Bentl. memor scripsit (cf. Leutsch. nunt. erud. Gott. 1855. III). optime denique Westphalius (ed. Cat. p. 145) initium c. 56: „o rem ridiculam, Cato, et iocosam“ ss. cum frg. 80 Archilochi comparavit:

Ἐρασμονίδη Χαρίλαε, χρῆμά τοι γελοῖον
ἐρέω, πολὺ φίλτας᾽ ἑταίρων, τέρψεαι δ᾽ ἀκούων.

itaque sententiam Archilochi alio metro reddidit; aliter Horatius Archilochum imitatus est, cf. ep. I, 19, 24: „numeros animosque secutus Archilochi, non res et agentia verba Lycamben.“

Restat ut de tertio genere dictionis Graecanicae, qualem apud Catullum invenimus, breviter exponamus. etiam ubi ironia utitur inimicosque acerbissimis contumeliis prosequitur Graecam doctrinam admisit. sic c. 3 in poemate vere ludicro omnes „Veneres Cupidinesque“ (cf. c. 13, ubi facete de unguento praestantissimo quod a puella sua acceperat loquitur) vocat, ut secum mortem melliti Lesbiae passeris lugeant „qui nunc it per iter tenebricosum, illuc unde negant redire quenquam“, cf. Theocr. 17, 120: ὅθεν πάλιν οὐκέτι νόστος, trita Graecis formula lo-

quendi: ὁδὸν εἰς Ἄιδου προβαίνειν. ἀτραπὸς vel οἶμος Ἄιδου. quo eodem carmine „malas tenebras Orci“ exsecratur, quia cum omnia bella, tum tam bellum passerem abstulerint, cf. Bion. I, 54: τὸ δὲ πᾶν καλὸν ἐς σὲ καταρρεῖ; cf. c. 5, 5 cum Mosch. id. 3, 103; compares etiam formulas illas loquendi „plus oculis amare“ (v 5), „carior oculis“ (c. 104, 2; 82, 2 et 4; 14, 1) cum Call. h. in Dian. 211 ἴσον φαέεσσι φιλῆσαι. porro c. 11 postquam Furium et Aurelium, quos homines summo odio ubique prosecutus est poeta, tanquam amicos spectatissimae fidei, qui vel in terras remotissimas secum penetrarent et qui vel summos labores secum subire parati essent oratione sublimiore et doctrinae Graecae plena celebravit, ab eis amare ludens petit, ut Lesbiae pauca non bona dicta nuntient; iam sequuntur verba illa gravissima v. 17 ss.: „cum suis vivat valeatque moechis“, quibus Lesbiae, quae eum cecidisset (v. 22 ss.) „velut prati ultimi florem“ in perpetuum amorem renuntiavit; quo in carmine vel ex „monimentis magni Caesaris“, quem alias tam vehementer acerrimis carminibus insectatus est, ludere poetam colligere possumus; ceterum v. 3 „Eoam undam“ commemorat (etiam c. 62, 35 ex coniectura; in Cinnae frg. 8 ed. L. Mueller. Ciris v. 352); id quod Garckius praetermisit, cum scriberet c. l. p. 145: „Graecum hoc adi. ἠῶος et ἑῷος inde ab Augusti aetate a Latinis scriptoribus usu poetico receptum.“ tum c. 26 Catullum longa et docta illa ventorum enumeratione non tam doctrinae ostentatione excellere quam ludum extendere voluisse ex re ipsa iam satis apparet. in c. 36, in quo poeta urbes illas, ubi Venus celebrata est, quasi per digitos enumerat (v. 12 ss.: „quae sanctum Idalium, Uriosque portus“ ss. cf. Theocr. 15, 100: δέσποιν' ἃ Γολγώς τε καὶ Ἰδάλιον ἐφίλασας, cf. Cat. 64, 96: „quaeque regis Golgos quaeque Idalium“), per iocum finxit Lesbiam vovisse, se, si Catullus secum in gratiam rediret, „annales Volusi, cacatam chartam“, igni traditurum esse; ubi non solum ex toto huius carminis argumento iocus apertissime elucet, sed etiam v. 15, quo Durrachium „Adriae taberna“ lepide vocatur, cer-

tissimo testimonio confirmatur; cuius carminis v. 11: „creata ponto“ Graecorum vocabulum ποντογενής expressit. denique c. 55 Catullus iocabundus exclamat, Camerium amicum ferre „Herculei laborem“ esse, (cf. Hor. od. I, 3, 36: „Herculeus labor“, frequentissima Graecorum formula).

reliquum est ut ea paucissima carmina enumeremus, quae Catullus ut maledicta et probra acerbissima in inimicos cumularet docte exornavit; sic in c. 60 Lesbiam, quae eum „ceciderat“, „fetum Scyllae latrantis aut leaenae montium Libystinorum“ (ecce poetam Alexandrinum!) appellavit (cf. Theocr. 3, 15: λεαίνας μαζὸν ἐθήλαζε 23, 19: κακᾶς ἀνάθρεμμα λεαίνας· leaenae enim imperfectos fetus edunt: ὠμοτόκος cf. Meinek Call. p. 225; cf. Cat. 64, 154 ss: „quaenam te genuit sola sub rupe leaena — „quae Syrtis, quae Scylla rapax, quae vasta Charybdis“). c. 88, 5 Gellio scelus exprobrat tantum, quantum non „ultima Tethys (quod verbum pro mari positum Catullum Alexandrinis debere doctissime Haupt. ind. lect. Ber. aest. 1855 exposuit) nec genitor Nympharum abluit Oceanus“, et c. 105 Mamurram poetam „Pimpleium montem“ (cf. Garck. c. l. p. 99 adnotat: „Musae apud Alexandrinos saepe Πιμπληίδες (Apollon. arg. I, 25) et Πιμπληιάδες (orph. fr. 46) a Πιμπλεία s. Πιμπληίδι, monte et fonte Pieriae (Strab. 9, 25 p. 410, schol. Apoll, ad l. c.) cognominatae“; cf. etiam Call. Del. 7) scandere conatum a Musis furcillis detrusum esse (proverbii loco, cf. Hor. ep. I, 10, 24: „furca expellere“) enarrat. optime porro Westphalius (ed. p. 148) initium c. 40: „quaenam te mala mens“ ss. cum frg. 92 Archilochi comparavit:

Πάτερ Λυκάμβα, ποῖον ἐφράσω τόδε;
τίς σὰς παρήειρε φρένας;
ἅς τὸ πρὶν ἠρήρεισθα· νῦν δὲ δὴ πολύς
ἀστοῖσι φαίνεαι γέλως·

addo denique c. 57, 6 „morbosos“ Graecorum νοσοῦντας esse; cf. Bentl. ad Hor. od. I, 37, 9; eodem loco Cat. 28, 15: oppro-

bria Romuli Remique" ἐλέγχεα Graecorum esse demonstrat: „notus ille Hellenismus est, iam inde ab Homero, qui homines probrosos ἐλέγχεα, hoc est, opprobria vocat."

In his carminibus, quae modo enumeravimus, Catullus doctum ornatum orationis Graecorum vel Alexandrinorum more admisit. reliqua eius poemata nitore illo, quem dicunt, plane carent, nisi forte formulas quasdam loquendi, ut „Harpocratem facere vel reddere aliquem" (c. 74 et 102), vel „divitias Mamurrae usque ad Hyperboreos et mare ad Oceanum" extensas (c. 115), vel „divitias Midae (c. 24, cf. Haupt. obs. cr. p. 8: „proverbii loco dici solet") et Croesi" (c. 115), „comam" arborum c. 4, 12 (Graecorum κόμη sive φόβη) doctrinae Graecae ostentandae caussa a poeta adhibitas esse putabis. in reliquis poematis vix locutiones quaedam, ut „dulcius ambrosia" (c. 99, 2) sive formulae illae etymologicae, ut usitato nomine dicam, te poetae Graeca eruditione instructi carmina perlegere indicant. tam simpliciter composita sunt, adeo carent stellis illis, ut Ciceronis verbis utar, quibus alii poetae carmina sua illustrare atque exornare student. in his poematis Catullus integrum se ipsum et quaecunque animum ipsius commoverunt memoriae tradidit. videmus eum Lesbiae amore exardentem eiusdemque perfidia intimo pectore vulneratum et fractum, audimus eum Caesari eiusque pedisequis irascentem, videmus eum in fratris mortui tumulo lacrimas uberrime effundentem. —

Iam postquam de hac liberiore imitatione Graecorum vel Alexandrinorum, qua res et sententias et totum orationis colorem complexi sumus, disseruimus, reliquum est, ut de altera poesis Graecanicae parte Catulli, quam nunc proprio Graecismorum nomine appellare solemus, nonnulla addamus. quae pars metricas, grammaticas, rhetoricas leges e Graecis assumtas continet. quam rem dignissimam esse, quae summa diligentia exploretur nemo negabit. quot enim res dubias in his carminibus explicandis nisi arte illa penitus perspecta diiudicare non possumus. certe elegantiam et urbanitatem illam orationis, qua

poeta excellere studuit et qua carmina exornavit, quippe qui legum illarum subtilium atque reconditarum expertes simus, saepe numero ne agnoscere quidem, nedum satis admirari possumus. quanquam, quanti Catullus ipse ornatum illum dicendi fecerit, facile cognitu est. ubique summa diligentia leges illas artis, quas ab Alexandrinis potissimum poetis repetiit, servavit. ubique severissimus poetarum malorum existimator extitit. sic scripta illorum igni tradi iubet; cf. c. 36, 6 ss.

„electissima pessimi poetae
scripta tardipedi deo daturam
infelicibus ustulanda lignis."

c. 22 Suffenum poetam, qui brevi temporis spatio „plurimos facit versus" ridet; c. 14 poetas illos „saecli incommoda" eorumque carmina „venena" appellat, cf. c. 44, 12: „orationem plenam veneni et pestilentiae;" notissima sunt quae de Volusi annalibus iudicat c. 95, 8: „laxas scombris saepe dabunt tunicas," et c. 36, 1 et 20; cf. c. 22, 14: „infaceto est infacetior rure," et c. 36, 19: „pleni ruris et inficetiarum annales Volusi" (cf. Hor. ep. II, 1. 160 et 157: „vestigia ruris", „agreste Latium").

quae tamen Graecismorum Catulli regio tam late patet, ut nonnulla admodum leviter attigisse satis habere debeam.

Itaque, ut inde ordiamur, cum omnino Catullum veterum scriptorum consuetudinem mutare videamus, per se satis credibile est, eum etiam nova artis metricae praecepta secutum esse; neque primus hanc viam ingressus est. etenim postquam Ennius hexametrum pentametrumque et una cum his metris novas rationes metricas a Graecis ad Romanos transtulit, Catullus artem in his quidem metris iam stabilitam etiam ad lyrica carmina transferre conatus est. primus versus phalaecios et trimetros scazontas ita popularibus suis commendavit, ut mox gratissima acceptissimaque essent Romanis: idem strophas Graecorum quasi caute et timide imitari coepit (perversa enim illa recentiorum

editorum ratio esse mihi videtur, qui ubique systemata constituere student); in Catulli carminibus prima synizesis Graecanicae vestigia apparent. quid? quod in ipso versu hexametro componendo Alexandrinos imitatus novas leges secutus est? namque ab his spondaicos illos versus mutuatus est, quibus saepissime consulto usus est (in uno c. 64 tricies); quapropter a Cicerone vituperatur qui scribit ad Att. 7, 2, 1: „ita belle nobis „flavit ab Epiro lenissumus Onchesmites: hunc σπονδειάζοντα sicui voles τῶν νεωτέρων pro tuo vendita;" de qua re exposuit Haupt. ind. lect. Berol. aest. a. 1855. ibidem Catullum Alexandrina plane diligentia in c. 64 cavisse, ne quis versus hexameter post quartum trochaeum incisus esset, docuit. eosdem Alexandrinos secutus hiatum in pentametri caesura admisisse videtur, quanquam Hauptius (quaest. Cat. p. 85) eum in hac sede tolerari posse negavit. mutavit igitur c. 66, 48: „Chalybum" librorum mss. in „Chalybon," c. 67, 44: „speret" in „speraret," c. 68, 158: „a quo sunt primo omnia nata bona" in „a quo sunt primo mi omnia nata bona." certe fatendum est, mutationes illas satis lenes esse; sed recte sese habere tria illa hiatus exempla facile credo, praesertim cum L. Muellerus ipsius Propertii exempla nonnulla protulerit, quibus in medio pentametro syllaba brevis porrigitur; quam licentiam una cum illa hiatus M. Hauptius ab hac sede versus abiudicaverat. nam cum Propertius illo tempore, quo leges metricae summa severitate vel pusillis curis a poetis observatae sunt, licentia illa usus sit, profecto Catulli hiatus illi multo facilius excusari possunt. neque neglegendum est Callimachum quoque in tribus locis hiatum in commissura pentametri admisisse, quos Meinekius coniecturis corrigere non debebat, cf. Mein. ed. Call. p. 131: scripsit Callim: δηναιῷ γλυφάνου ἄξοος ἧσθα σανίς (corr. Mein. γλυφάνοις), tum. etym. M. p. 158, 8: ἥμισυ μὲν Πέρσαι, ἥμισυ δ' Ἀσσύριοι (Mein. Πέρσαις-Ἀσυρίοις), et apud schol. Pind. Ol. IV, 132: Ἐργῖνος Κλυμένου (Mein. inserit contra consuetudinem Callimachi particulam δέ) ἔξοχος ἐν σταδίῳ. —

Eadem diligentia, qua praecepta metrica, grammaticas leges Catullus a Graecis mutuatus est; quo pertinent plurima etymologicae figurae, quam appellare solemus, exempla; sic c. 7: „basia basiare;“ c. 14: „odio odisse;“ c. 40: „amores amare“. c. 61, 117: „gaudia gaudere.“ c. 63, 76: „iuga iungere“; v. 15 „sectam exsequi;“ c. 81 et c. 110: „facinus facere,“ et si Bergkium sequeris „vellera vellere c. 64, 320. huc referendae sunt porro declinationis Graecae formae illae, quas Catullus in carminibus suis promiscue, prout metrum poscebat, adhibuit; aliam legem Horatius secutus est. quam primus observavit Bentl. in adnot. ad epod. 17, 17. similiter nomina Latina fictis nominibus Graecis vertit; sic Polionis nomini Graecum Θάλλος respondere puto (cf. Schwab. c. l. p. 151, qui Iuventium Graeco illo nomine designari contendit), sicuti apud Horatium Proculei nomini (c. II, 2, 5) Graecum Telephi (c. I, 13; III, 19; IV, 11); credo igitur c. 12 et c. 25 ad eundem Polionem, fratrem C. Asinii Polionis, pertinere; cf. 12, 14: „sudaria saetaba“ = c. 25, 7; 12, 4: „inepte“ = 25, 8; θάλλειν = pollere; qua in re memor sis precor eorum quae Haupt. obs. cr. p. 7 exposuit: „habet hunc morem Catullus ut de eisdem hominibus eadem dicat saepius aliorumque carminum memoriam venuste repetat“ ss.

Denique transeo ad rhetoricas illas quaestiones, quae omnino in verborum structura et collocatione versantur. etiam haec verborum collocandorum praecepta Catullum a Graecis, summis elegantiae magistris, repetiisse per se veri simillimum est; et magna quidem ex parte ea, quae Meinekius (ed. Call. p. 241) de Alexandrinorum poetarum diligentia exposuit cum dixit: „placebant sibi in legibus inveniendis, quarum severa observatio cum magno labore coniuncta esset,“ in Romanos quoque poetas valent, minus tamen in Catullum, qui ut in lingua, hac quoque in re medius est inter priorum carmina impolita et inculta et inter nimium illum posteriorum „limae laborem.“ Horatius quidem tanto studio varietatis carmina sua conscripsit, ut non solum repetitionem earundem litterarum consonantium et vocalium

(allitterationem), sed etiam syllabarum in finibus versuum ac verborum eorundem iterationem (homoeoteleuta) summa diligentia fugeret atque vitaret; idem ne easdem sententias quidem iterum protulit, quin aliis verbis vel imaginibus variaret. contra Catullus non solum syllabas ac verba repetiit, sed etiam saepenumero sententias iteravit. —

Et allitterationem quidem, cuius in Catulli carminibus plurima extant vestigia, Horatius veteres poetas Graecos imitatus ita repudiavit, ut in solis formulis quibusdum permaneret; in his etiam apud Catullum pleraque allitterationis exempla invenimus, veluti: „milia multa“: 5, 10; 16, 12; 61, 210; 66, 78; 68, 46; „bene ac beate,“ 23, 15; 14, 10; „satis superque“, 7, 2 et 10: „leniter et leviter,“ 84, 8; „vivat valeatque“, 11, 17; „mala multa,“ 28, 14; 14, 6 (cf. Hor. sat. II, 3, 203); „mala mens“, 15, 14; 40, 1; sed etiam alia agnominationis exempla ubique extant, ut c. 10, 23: „in collo collocare“; c. 61, 204: „quod cupis capis,“ al.; quae non tam veterum Romanorum consuetudinem secutus, quam Alexandrinos poetas imitatus admisisse videtur. conferas quidem Call. h. in Apoll. 69: *ὦπολλον πολλοί·* ubi Meinekius adnotavit: „consulto, opinor, coniunxit vocabula sono similia, ut Dian. 225: *πότνια πουλυμέλαθρε πολύπτολι·* Del. 266: *πολύβωμε πολύπτολι πολλὰ φέρουσα*“. et Dilth. l. c. p. 37: „(multa porro) agnominationis (*παρονομασίας*) exempla extant: Call. h. in Dian: 204. *Οὖπι ἄνασσ' εὐῶπι* coll. in Del. 325: *ἰστίη ὦ νήσων εὐέστιε*“.

Tum Catullus non solum de industria homoeoteleuta in duobus versibus continuis nonnusquam adhibuit, qua licentia omnes poetae uti solent, sed etiam saepe numero quasi ludens atque sibi indulgens ea admisit; (id quod posterioris aetatis poetae ut vitium summo labore vitaverunt); veluti c. 3, 3 et 4: „puellae“; c. 5, v. 7, 8, 9: „centum“; c. 8, 11 et 12: „obdura-obdurat“; haec quoque Alexandrinis poetis debere videtur; namque ne Callimachum quidem homoeoteleuta fugisse multis exemplis probari potest: h. in Iov. 92 et 93: *ἀείδοι* in Apoll. *μά-*

χοιτο v. 26 et 27 (rectissime Mein. p. 258 adnotavit: „hunc versum qui tollunt — atque extiterunt qui alterutrum eicerent-Callimachum e Callimacho tollunt), v. 17 et 18; v. 28, 30, 31; v. 43, 44; Dian. 154 et 155 al.

praeter illud genus homoeoteleuton, quo nonnulli continui versus eadem exeunt terminatione, etiam alterum genus, quod uno eodemque versu continetur, saepissime Catullus Graecos poetas imitatus admisit; sed priusquam de hac re disseramus legem quandam compositionis metricae breviter attingere liceat, quae cum homoeoteleutis artissime cohaeret. plerumque enim in fine versus et medio numero, ubi caesura versus in duas partes dividitur, verba inter se iuncta maximeque substantiva cum adiectivis suis collocata inveniuntur; quam legem in carminibus elegiacis poetis Alexandrinis non ignotam fuisse Meinek. observavit ad Call. p. 265; idem artis praeceptum Horatium in Asclepiadeo metro servasse Mein. in praef. ed. p. XIX demonstravit. ac tantum abest, ut in hac substantivorum et adiectivorum collocatione poetae homoeoteleuta vitaverint, ut saepissime partes eiusdem versus, quae caesura dividuntur, simili exitu sint. sic verba necessitate quadam inter se conexa vel eodum sono significantur: cf. Cat. in hexametris et pentametris, c. 66: „gyro-aerio"; „nocturnae-rixae;" „virgineis-exuviis": „falsis-lacrimulis" al; fortasse etiam c. 68a, 18: „quae curis dulcem miscet amaritiem"; cf. Callim. in uno carmine lavacr. Pall.: v. 8, 10, 20, 22, 26, 32, 38, 50, 62, 72, 86, 100, 102, 112; Cat. in hendecasyllabis: c. 6: „Syrio-olivo; tremulique-lecti; c. 27: vetuli-Falerni; Postumiae-magistrae" al.

Neque minus ad Graecam originem verba iterata poetae graviter commoti referenda esse mihi videntur, ut „heu, heu" c. 77,5 et 6; „unde unde" c. 67, 27 (e coniectura Statii); „iam iam". c. 62, 52; 63, 73; „huc huc" c. 61, 9; 64, 195; „non non" c. 14, 16; „magis magis", c. 64, 274; 38, 3; 19, 4; 61, 46; 68, 48; de eodem Horatii usu exposuit Bentl. ad c. III, 24, 25, ubi exempla nonnulla, non omnia congessit: cf. c. IV, 1, 2: „precor

precor"; epod. 2, 68: „iam iam"; ep. 5, 53: „nunc nunc"; ep 6, 11: „cave cave"; ep. 17, 7 „solve solve"; ep. 14, 6: „deus deus" al. cf. poetas Alexandrinos: Call. τάλαν τάλαν ep. 30, 1 (cf. Cat. 63, 61: „miser ah miser"); h. in Apoll. 2: ἑκὰς ἑκάς Del. 204 πέρα πέρα· v. 214 γείνεο γείνεο. in Cer. 18 μὴ μή. v. 64 ναὶ ναί· κύον κύον· ep. 28, 5 καλὸς καλός· Theocr. 8, 73 καλὸν καλόν· 6, 8 τάλαν τάλαν· quibus simillima sunt epanalepseos exempla, ut Cat. 51, 13 — 15: „otio"; 65, 8—12: „nunquam," „semper," al. eadem figura et Callimachum et Theocritum usos esse multa demonstrant exempla; cf. in Apoll. 17 et 18; 1 et 2, 6 et 7, 32 et 34; 43 et 45 al. cf. Mein. p. 208 et p. 254 (ubi exempla plurima collegit); Theocr. 24, 7 et 8; 1, 71 al.

eodem modo Catullus in affirmationibus anaphorae figuram adhibuit, ut c. 8, v. 3 et 8: „fulsere quondam candidi tibi soles: fulsere vere"; c. 76, v. 13 et 14:" difficile est longum subito deponere amorem; difficilest"; c. 80: „nescio quid certest; sic certest"; c. 94: „moechatur; moechatur-certe"; c. 38: „malest; malest"; quocum cf. Callim. ep. 25: ὤμοσε-μήποτε κείνης ἔξειν κτλ· ὤμοσεν, ἀλλά κτλ. cf. c. 70: „nulli se dicit mulier mea nubere malle; dicit; sed" etc.

eadem figura in responsis usus est, cf. c. 9: „venistine domum s.? venisti" (cf. Theocr. id. 12, init: ἦλυθες,, ὦ φίλε κοῦρε; ἦλυθες); c. 37: „non putatis ausurum me s.? atqui putate"; c. 40: „qua lubet esse notus optas? eris;" c. 62, v. 8: „viden ut exsiluere? non temere exsiluere;" v. 12: „aspicite-ut meditata requirunt? non frustra meditantur"; c. 77, v. 4 et 5: „eripuisti? eripuisti"; c. 104: „credis me potuisse? non potui"; c. 12: „non credis mihi? crede"; c. 88, 4 et 5: „quantum suscipiat? suscipit"; cf. Call. ep. 30; οὐκ ἔγνων; σχέτλιε, ποῦ γέγονας; — ἔγνων· Theocr. id. 8, 11: χρήσδεις ὧν ἐσιδεῖν; χρήσδεις καταθεῖναι ἄεθλον; χρήσδω τοῦτ' ἐσιδεῖν, χρήσδω κτλ. cf. Soph. Ant. 447: ἤδησθα —; ἤδη· El. 1163; 1455; Phil. 753 al. permulta; Sappho frg. 104 (Bergk. anth. lyr. 2):

τίῳ σ', ὠ Φίλε γάμβρε, κάλως εἰκάσδω;
ὄρπακι βραδίνῳ σε κάλιστ' εἰκάσδω.

itaque Cat. c. 41 in loco vexatissimo scribendum esse puto: „anne sana puella sq? non est sana puella.“

deinde Catullus in antithetis eadem verba repetere solet, veluti c. 23: „furei, cui neque servos est-verum est et pater“ s; c. 44: „quibus non est cordi — at quibus cordist;“ c. 61, 61, s: „nil potest sine te Venus,— at potest;“ v. 73: „non queat — at queat“; v. 143: „diceris male te abstinere — sed abstine;“ v. 146 s: „scimus haec tibi quae licent — sed marito ista non eadem licent“; c. 91 „non satis — credideram; tu satis id duxti“; item c. 62, 58 scribere malim: „cara viro magis est, minus est invisa parenti;“ ἀσυνδέτως ut v. 63 et 64: „tertia pars patrist, pars est data tertia matri“; c. 76, 15: „una salus haec est, hoc est tibi pervincendum;“ c. 23, 16: „a te sudor abest, abest saliva“. c. 30, 11: „at dii meminerunt, meminit fides“; c. 62, 28: „pepigere viri, pepigerunt ante parentes.“ cum hac lege Catulli conferas ea quae Tischerus ad Ciceronis Tusc. I. 48, 116 adnotavit: „Cicero setzt, wenn ein Verbum 2 Sätzen gemeinsam ist, einem positiven und einem negativen, dasselbe gewöhnlich (und wenn es posse ist, stets) doppelt: so hoc pueri possunt, viri non potuerunt“ al.

addo aliam legem anaphorae, quam Catullus servavit: saepissime enim in carmine elegiaco et hexametri et pentametri versus partes ita inter se respondent, ut alterum hemistichium eodem verbo quo alterum incipiat: sic c. 101, 1:

„multas per gentes et multa per aequora vectus;“ c. 97, 3: „nilo mundius hoc nilostque immundior ille;“ c. 64, 96: „quaeque regis Golgos quaeque Idalium frondosum;“ cf. Theocr. (Fritzsche zu Theocrit u. Virgil Lpz. 1860 p. 15): id. I. 65:

Θύρσις ὅδ' ὡξ Αἴτνας καὶ Θύρσιδος ἁδέα Φωνά. Theocr. 5. 60; 11, 63; 15, 82; 24, 9; sed plerumque, ut mos est Catulli, ἀσυνδέτως: c. 62, 4:

„iam veniet virgo, iam dicetur hymenaeus“; cf. v. 42, 44, 50, 55; c. 64, v. 37, 146, 186, 255, 336; c. 68 a, v. 35; c. 100, 8; cf. Theocr. I, 83; II, 98; VIII, 53; XVI, 13; de simili anaphorae lege cf. Meinek. ad Callim. p. 208; de eodem Horatii usu cf. Mein. ed. Hor. praef. p. XXIX: „ne quicunque deus, quicunque adhibebitur heros“, al.

Sed saepe numero Catullus vel nulla caussa commotus, tanquam ludibundus vocabulorum iterationem admisit cuius licentiae nonnulla exempla attulisse satis habeo, c. 4: „negat negare“; c. 4, 27: „gemelle Castor et gemelle Castoris;“ c. 8, 5: „amata amabitur;“ c. 9. v. 10 et 11; „beatior,“ c. 30, 12: „facti faciet“; c. 61, 19: „bona cum bona nubet alite virgo“, v. 44: „dux bonae Veneris, boni coniugator amoris“; v. 152 et 153: „vir petet, cave ne neges, ni petitum aliunde eat,“ (qua de re cf. Haupt. obs. cr. p. 30); cf Call. Apoll. v. 57, 58, 64: *θεμείλια* repetiit, Mein. p. 142: „de industria iisdem verbis usus“.

quid? quod easdem sententias eisdem propemodum verbis in uno carmine expressit? ut c. 62, v. 21 et 22: „qui natam possis conplexu avellere matris,

„conplexu matris retinentem avellere natam“;

v. 42 et 44; „multi illum pueri, multae optavere puellae;

„nulli illum pueri, nullae optavere puellae“

c. 82, v. 2 et 4: „siquid carius est oculis,“ „seu quid carius est oculis;“ de eadem tautologia apud Callim. cf. Mein. p. 256—258: „Callimachi haec est proprietas ut saepe eandem sententiam vel iisdem propemodum verbis repetat vel oratione paululum tantummodo mutata dilatare soleat“, sic Iav. Pall. v. 13 et 15; v. 72 et 73; Cer. 71 et 72; ep. I, 12 et 16.

saepius Catullus carmina eisdem versibus, quibus incepit, conclusit quoque, ut c. 16: „paedicabo ego vos et irrumabo;“ c. 52: „quid est Catulle? quid moraris emori?“ c. 57: „pulcre convenit improbis cinaedis“; similiter in medio carmine eadem

verba repetiit: c. 42, v. 12, 19, 24: „redde, putida moecha, codicillos;“ c. 29, v. 5 et 9: „cinaede Romule, haec videbis et feres; c. 8, v. 2 et 8: „fulsere quondam (vere) candidi tibi soles“; c. 16, v. 4 et 8: „si sunt molliculi ac parum pudici“.

Sequitur ut Catullum Alexandrinos imitatum poetas digressiones adhibuisse demonstremus; namque poetae illi, cum veram naturam carminibus assequi non possent, his remediis sincerum colorem atque verum sanguinem, ut ita dicam, poematis dare studebant; fingunt igitur digressionibus illis, se enthusiasmo lyrico elatos et afflatu quodam sublimi et divino quasi abreptos sententiis redundantibus resistere non posse. itaque suavi digressione lectores quasi fallunt. sic Catullus in c. 64 vix a recta narrationis via digressus mox iterum iterumque in novas fabulas aberrat; explicationi nuptiarum Pelei et Thetidis fabulam de Ariadna a Theseo perfido deserta inseruit. unde iterum digressus v. 71—116 initia amoris describit; tum reversus his verbis (v. 116) „sed quid ego a primo digressus carmine plura commemorem“, Ariadnam querelas de perfidia virorum effundentem describit; deinde postquam patrem Thesei, filium adhortantem, induxit atque exposuit, quo modo exsecrationes Ariadnae in Theseo praeceptorum patris immemori evenissent, tandem v. 266 illuc rediit, unde v. 52 digressus erat. c. 68b, v. 73—130, fabulam Laodamiae intexuit.

longe aliud genus digressionum illud est, quo poeta „ab ipso comparationis momento ita digreditur, ut dilatet imaginem et per singula persequatur“, veluti c. 62, 42: „multi illum pueri, multae optavere puellae“ ss. et v. 53 ss; porro c. 64, v. 108; „illa procul radicibus exturbata prona cadit“ ss. quo pertinent versus illi c. 65, 19—24, quos Rossbachius, Westphalius, alii ab hoc carmine separare non debebant. etiam in hac comparationum persequendarum arte Catullum poetas Graecos secutum esse Hauptius suo iure in quaest. Cat. p. 90 contendit.

restat ut tertium genus digressionum describamus, quas veras appellare possimus: has non poetas Alexandrinos docte

imitatus carminibus intexuit. immo ubi animus poetae gravissimo dolere et maerore commotus quasi redundat, eas, pulcherrimum carminum ornatum, nonnusquam invenimus. eis vere se poetam natum esse probavit. quo pertinent notissimae illae ac suavissimae digressiones, quibus acerrimo dolore de fratris morte fractus in epistolis querelas atque lacrimas uberrimas profundit. sic c. 65, in epistola, qua se apud Ortalum amicum de carminibus nondum missis excusat, v. 9 maerore oppressus orationem interrumpit, ut v. 15 demum denuo eam excipiat: „sed tamen in tantis maeroribus“ ss; quam veram digressionem, ex qua Catullum summo ingenio poetico praeditum esse iam satis apparet, a Rossbachio, Schwabio, aliis improbari atque reici aegre fero. putant enim vv. 10 — 14 aliunde huc illatos esse, quia orationis cursum nimis retardent atque interrumpant. o frigus grammaticum! quasi poeta summo dolore excruciatus anxie exquirat, num, si totum se penitusque dolori atque querelis dedat, parum rotunda fiat oratio; nonne poetis quoque licebit lacrimis de morte fratris carissimi indulgere? — deinde commemorandum est Catullum particulas copulativas saepenumero omisisse atque sprevisse. hunc quoque dicendi usum a poetis Alexandrinis mutuatus esse videtur. constat quidem Callimachum eadem dicendi consuetudine usum „orationem λελυμένην καὶ ἀσύνδετον (inprimis) amavisse“, cf. Mein. adnot. ad v. 50 h. in Dian; et in Iov. v. 92: „poeta amat hoc abruptum et praeceps dicendi genus“; cf. Theocr. id. 5, 2; 6, 44; 7, 141; al. sic apud Catullum c. 3, v. 3, 15; c. 12, 3 al. permulta; in oratione commota, sic imperativa: c. 8, 11: „perfer, obdura“; c. 14, 21: „valete, abite“; c. 63, 12: „agite ite“; c. 55, v. 15 et 16: „dic nobis, — ede audacter, committe, crede luci“; verba finita: c. 65, 9: „alloquar audiero“; c. 63, 86: „vadit, fremit, refringit“; c. 45, 20: „amant amantur“ (optime Bergkius c. 61, 46: „quis deus magis est amatis petendus amantibus)“; nonne etiam c. 83, 6: „uritur, obloquitur“ scribendum erit? certe qui „loquitur“ coniectura commutant, Catullum e Catullo tollunt. porro adiectiva, adverbia,

substantiva: c. 46, 11: „diversae variae viae reportant"; c. 36, 10: „iocose lepide"; c. 115, 8: magna minax"; c. 14, 23: „saecli incommoda, pessimi poetae"; c. 32, 2: „meae deliciae, mei lepores; c. 42, 13: „o lutum, lupanar"; c. 54, 2: „rustica semilauta"; c. 64, 197: „inops ardens, amenti caeca furore", v. 274 (et c, 38, 3): magis magis"; v. 405: „fanda nefanda"; c. 57, 9: „rivales, socii (cf Haupt. obs. cr. p. 41)." fortasse etiam c. 6, 8: „sertis, Assyrio fragrans olivo": (cf. c. 68, 144: „fragrantem Asyrio — odore"; libri mss.: „asirio") et c. 47, 5: „convivia lauta sumptuosa" (cf. c. 44, 9: „sumptuosas cenas").

addo nonnulla de coniunctionum copulativarum traiectione; nam cum Catullus antiquiores poetas Latinos secutus a liberiore illa copulativarum particularum collocatione abstinuisset, poetae qui Augusti aetate vixerunt saepe numero eam admiserunt; quam consuetudinem poetas Romanos Alexandrinis debere Hauptius contendit, Naekius negavit (cf. Haupt. obs. cr. p. 63 s.); fortasse „sed" et „at" particularum traiectione usus Catullus Alexandrinos poetas secutus est; de quo Alexandrinorum usu cf. Haupt. obs. cr. p. 62 (ἀλλά); cf. Cat. c. 64, v. 42: „ipsius at"; v. 58: „immemor at"; c. 51, 9: „lingua sed", (Priap. 68, 38: „illo sed"); „nec" saepius secundo loco positum est apud Catullum, ut c. 64, v. 210: „dulcia nec"; v. 379: „anxia nec" al. —

Reliquum est, ut de consuetudine quadam loquendi exponamus, quam Catullum a Graecis repetiisse inter omnes constat. Graecos enim poetas imitatus verba inter se opposita coniungere solet; c. 6, 7: „tacitum clamat"; c. 25, 12: „minuta magno"; c. 36, 6: „electissima pessimi"; c. 64, v. 83: „funera nec funera (gr. ἀ —); v. 138: „immite pectus mitescere"; quo pertinet Catullum maxime pronomina arte componere studuisse. veluti c. 66, 91: „tuam me"; c. 10, v. 1: „me meus", v. 25: „mihi, mi"; c. 21, 11: „meus mi"; c. 63, 15: „me mihi"; c. 95, 9: mei mihi"; nonne c. 39, 9: „te mihi" scribendum erit, ubi „te" post t litteram antecedentem („est") facillime excidere potuit.

eadem ratione similia coniungere solet, ut c. 78, v. 7: „purae pura“, v. 6: „patruus patrui“; plerumque verba caesura seiuncta sunt: c. 31, 12: „gaude: gaudete; c. 78, 4: „bello: bella“; c. 61, 163: „omnia: omnibus“; c. 34, 5 s.: „maximi: magna“; c. 99, v. 2: „dulci: dulcius“, v. 14: „tristi: tristius“; eadem arte Alexandrini poetae verba collocaverunt: Call. Apoll. 54: μουνοτόκος: διδυματόκος. ep. 24, 2: μικρῷ: μικρός. Theocr. id. 13, 38: μίαν ἄμφω. id. 22, 30: μιῆς πολλοί, id. 4, 34: ὀγδώκοντα μόνος. id. 22, 119: σκαιῇ μὲν σκαιήν. cf. Soph. Ant. 13: δυοῖν-δύο, cf. Ai. 267 ed. Schneidew.; Ant. 14: μιᾷ-διπλῇ, v. 170: διπλῆς-μίαν. v. 231: σχολῇ ταχύς. O. C. 306: βραδὺς σπεύδει, al. permulta. —

Sed haec hactenus. longius enim in hac via spinosa equidem progredi non audeo. —

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 073 470 1